DE
VULNERIBUS CEREBRI SANATIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE X. M. FEBRUARII MDCCCXLII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ARMINIUS HEIDFELD

MARIAE-INSULANUS.

OPPONENTIBUS.

H. BLANCK, med. et chir. Dr.

C. de STASZEWSKI, med. et chir. Cand.

F. STEINER, med. et chir. Cand.

ACCEDIT TABULA.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PATRUIS

OPTIMIS, CARISSIMIS, DILECTISSIMIS

FRID. HEIDFELD

ET

CAR. HEIDFELD

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Ut satis fiat pio et antiquo mori, quo summos quisque honores academicos petiturus libellum componere jubetur, equidem ad hoc opusculum scribendum aggressus sum.

Quaerenti autem mihi materiam, de qua dissererem, operae pretium facere videbar, si de ea re scriberem, ad quam penitus perscrutandam casus quidam experientiae meae obvius me impulisset. Itaque de vulneribus cerebri sanatis agere constitui, indeque id commodi redundare in artem medicam persuasum habeo, ut, casibus periculosissimis quidem, tamen sanatis in memoriam revocatis, medici prohibeantur, ne boni exitus spem abjiciant, neve operam, si cerebri vulneri impendant, ad vana intendere sibi videantur. Ex omnibus igitur fontibus, qui de hac re quidpiam me docuerunt, hausi et summa quaeque composui. — Altera vero harum pagellarum pars in casu illo jam memorato, qui curandus mihi mandatus erat, adumbrando versabitur.

Te autem, Lector benevole, rogatum iterumque rogatum velim, indulgenter et benigne de re proposita judices; quod si recuses, cave, ne acrius, quam aequum est, vituperanti Tibi rectius inhumanitas, quam forte scriptori mihi inscitia vitio detur.

Quod Hippocrates contendit, omnibus cerebri vulneribus absolute mortem afferri (1), id medici tam veteres, quam recentiores negaverunt. Exstant enim exempla, quibus vulnera, etsi graviora et plena discriminis, perditis etiam magnis cerebri partibus, tamen sanari potuisse, extra omnem dubitationem positum est. Jam Galenus sanari ea vidisse fertur; idem narrat Nicolaus Massa de uno prae ceteris vulnere, quod ad os sphenoideum usque penetrasse, specillo immisso comprobatum fuit. Alia ejusmodi exempla, e Nicolao Carpo, Brasavolo, Arcaeo, Gemma et al. repetita, profert Marcellus Donatus. Neque desunt in Valleriolae et Fernelii libris.

Rhodius cranium satellitis cujusdam usque ad radicem nasi fissum, tamen in integrum restitutum esse commemorat. — Petit casum refert, quo aliquando glans plumbea nasum et ambo cerebri latera anteriora perruperit, neque tamen vulneratus interierit.

Jam vero etiam talia exempla in Ephemeridibus naturae curiosis apud Schenk, Petrum de Marchettis, Borellum, Fabricium Hildanum, Ambrosium Pareum, Franciscum Souchez, Bianchium et alios memoriae prodita sunt, quae Ploucquet fusius exposuit.

Deinde Vossling (2) casum a semel ipso curatum narrat, qui, toto fere cerebello deleto, tamen prospere processit.

---

(1) Aphor. I, 6, 18.

(2) Epist. XIII.

Hallerus (1) noster hoc exemplum scriptum reliquit: „Quum Tubingae litteris studerem“, ait ille, „puer duodecim annos natus, in cujus caput tegula ceciderat, plus cerebri, quam pugno tenetur, perdiderat. Nihilominus vero sine convulsionibus, nec alio damno accedente prospere sanatus est. Cujus bonae fortunae causa in eo cernebatur, quod superficies tantum laesa et fractura cranii tam lata erat, ut pus large secretum satis commode everri posset.

Apud Teichmererum (2) legimus, Regiomonti Prussorum in bibliotheca ferrum jaculi servari, quo caput et cerebrum militis cujusdam laesum esset. Idque, cum aegrotus convalesceret, per palatum abiit.

Auctore Richter (3) ita laesus homo quidam, ut glans, uno osse temporum perrupto, per alterum evasisset, tamen sanitatem recuperavit.

Ex Harlessii Annalibus Rhenanis (4) haustum casum hunc addiderim: Puella, quatuor annos nata, a pullo equino ad dextrum os frontis tam vehementer feriebatur, ut integumenta et os ipsum duos pollices hiarent atque dura mater magnam rimam ageret. Usque ad adventum medici prope cochlear majus substantiae cerebri effluxerat. Per primas viginti quatuor horas aegrota satis bene se habebat, secunda verum nocte convulsiones accedebant, quae quidem magnis dosibus liquoris corn. cerv. succ. sedabantur. Mane medicus, quum vulnus curaret, duas assulas, earumque unam ex ipsa substantia cerebri excipere coactus est. Tunc demum convalescentia in dies procedebat atque granulatione tandem finita, infans a vulnere ita recreata est, ut nec ipsa deformis, neque timendum esset, ne aliud quid damni sequeretur.

Nec non de pluribus vulneribus cerebri sanatis Dr Ehrlich in observationibus chirurgicis (Lips. 1815) disseruit. Unde ut exemplum unum ex multis depromam, miles in proelio Jenensi ad caput ita laesus esse traditur, ut glans plumbea sclopeto

---

(1) Vorlesungen über gerichtl. Arzneiwissenschaft Bd. II. Th. I. S. 415.

(2) Anweisung zur gerichtl. Arzneiwissenschaft etc. 1761. S. 190.

(3) Chirorg. Biblioth. Bd. 17, S. 729.

(4) II. Bd. 2. St.

emissa in dextrum capitis latus pone meatum auditorium externum adscendisset, atque parte superiore processus condyloidei maxillae inferioris et processu zygomatico ossis temporum comminutis, per dextram alam ossis sphenoidei et infra sellae turcicae faciem posteriorem per alam sinistram ossis sphenoidei permeasset. Aeger ex incommoda hac valetudine emersit.

Jam memoratu dignissima est sanatio vulneris capitis, quae debetur Prof. Wattmanno (1), qui, quum cerebrum in suppurationem abiisset, per trepanationem octo mensibus post, quam vulnus acceptum est, eam perfecit.

Capitis vulnus, ubi, ossibus cranii fractis, substantia cerebri effluxerat, trepanatione non in usum vocata, tamen refectum est auctore L. Prake (2).

Deinde a Morrino (3) memoriae proditum est, epitonium posticum sclopeti, pulvere nitrato abundantis, dirupti, per ossis frontis partem inferiorem, supra processum nasalem in cranium penetrasse et in cerebrum penitius se abdidisse, quam ut aut videri aut sentiri posset. Aegrotus mentis suae plane compos erat. Praemissa igitur venaesectione, epitonium forcipe non sine labore extractum est. Adhibebantur deinde striae emplastri adhaesivi, et epithemata frigida, nec non medicamina alvum cientia porrigebantur. Mox aeger sanus evasit.

Praeterea exempla mihi occurrerunt (4), quibus curationem vulnerum cerebri extra fines artis medicae non egredi satis probatur. Notandum vero est, unum eorum, qui sanitatem receperint, gressu aliquantum irregulari incedere.

Habeant denique locum duo casus, quos unde excerpserim, memoriae quidem elapsum est, sufficiat tamen meminisse, a bono auctore me scriptos accepisse. Quorum alter spectat ad vulnus ictu teli ignivomi tam vehementer inflictum, ut e cranio disjecto

---

(1) Mediz. Jahrbücher des K. K. Oesterreich. Staates.

(2) Henke's Zeitschrift für Staatsarzneikunde 7. Ergänzungsheft.

(3) Magazin d. Ausl. Litter. v. Gerson et Julius 1827.

(4) Hufeland's Journal d. prakt. Heilkunde 1828 Aug. ibid. Bd. XII. Heft 1 et Bd. XIV. Heft 3.

haud parum cerebri effluxerit. Faciem vulnerati arcessitus medicus granulis pulveris pyrii obsitam fuisse refert, atque tumuisse, aeque ac palpebras, ita ut oculus lateris dextri laesi aperiri non posset. Sopore paene continuo detentus aeger nihil appetebat; urinae et alvi evacuatio suppressa erat. Postquam vero ad vesicam mirum quantum distentam evacuandam surrectus urinam misit aegrotus, animo linqui coepit, quam ob causam medico de vita aegri timendum esse videbatur. Simul aderat respiratio profunda. Si defectus cranii ambitum quaeris, erant quatuor pollices. Vulnus, supra dextrum arcum superciliarem incipiens, inprimis os frontis occupabat; assulae autem, quae multae erant, ab osse bregmatis discesserant. Cerebrum nudum ante oculos obversabatur, et ipsae ejus tunicae deletae erant; idemque sanguine tinctum, quando fascia applicabatur, pultis ad instar emergebat. In profundo autem nihil laesum, sed gyri tantum cerebri tentati erant; atque hoc jam idcirco notatu dignum videtur, quod, quum convaluisset vulneratus, omnes sensus ne minimum quidem detrimenti ceperant, nec ulla corporis functio turbata erat. Aëris vulneri sese immiscentis injuria propter vim noxiam ante omnia cavenda erat, quam ob rem vulneri fasciae rite applicandae prima medico cura erat. Interne Infusum flor. Arnic. cum Sale Glauberi et diaeta commode praecepta est. Sexta demum die aeger mentis suae plane compos exsistebat, excretiones regulares evadebant et permagna ciborum appetentia accedebat. Tum ad vulneris margines Unguento digestivo adhibito, cerebri partibus denudatis ceratum simplex et linteum carptum est impositum. Interne Arnica uti medicus pergebat. Omnibus tandem ossium frustis, quae per aliquod adhuc tempus irritatione cerebri convulsiones provocaverant, tum arte, tum natura exterminatis, sanatio celeriter procedebat, nec quidquam ei impedimento fuisset, nisi duodecima die morbi febris vehemens invasisset, quae Moscho cum Camphora juncto mox auscultabat.

Praeterea cerebrum, ubi ferro, e. g. volsella, specillo tactum sit, gravissime doluisse, ab eodem auctore refertur. Idque eo minus praetereundum videtur, quod multi scriptores praecipue propter perexiguam, quae insit cum toti cerebro, tum vero

etiam ejus superficiei, sentiendi facultatem cerebri vulnera sanabilia esse suspicati sunt. Inter quos nominentur Richter(1) et Machins(2).

Huc denique referendus est alter casus, in juvene strenuo, florente adhuc aetate et valetudine, deprehensus. Qui quum vespere in stabulo stramina dispergeret, calcitratu equi ad caput percussus est. Vulnus circiter quatuor pollices longum atque soleae ferreae formam referens, passim usque in cerebrum ita penetraverat, ut aliqua ejus pars, membranis investientibus denudata, facili negotio conspici posset. Mox aeger non modo cibos potusque sumtos, verum etiam bilem vomuit, et ingentem anxietatem prodebat. Pulsus arteriarum evadebat plenus et rarus, cutis temperies non aucta, alvus et urina expedita, nec sitis adaucta, nec cibi ullius appetitus. Quum vulnere rite eluto et depromtis assulis fascia simplex adplicaretur, aliquantum substantiae cerebralis profluxit, idemque diebus sequentibus observatum est. Dein capiti epithemata Schmuckeri admoveri jussum est; interne Flor. Arnic. c. Nitr. et Sal. mirab. Glauberi medicus in usum vocavit atque imperavit victus rationem utique antiphlogisticam. Jam altera die aeger tanquam somnio experrectus sibi videbatur, nec praeteritorum memoria remanserat. Quae quidem hucusque curatio praescripta erat, eadem retinebatur, et sanatio nihilo turbata procedebat. Aegrotus deliriis non amplius detentus et febris tam exigua erat, ut vix appareret: omnes excretiones regulae conveniebant. Ut in exemplo paullo ante laudato, itidem hoc in casu vulneris sensus tam acutus erat, ut nullo metallo ne levissime quidem se tangi pateretur. Et quamquam aeger, sanatione vix ad medium progressa, clam se subducendi occasionem nactus, in taberna cerevisiaria vicina genio indulsit, tamen, curatione illa simplice nihil mutata, tam celeriter restitutus est, ut jam tribus septimanis post adventum munus iterum suscipere posset et, vulnere nondum firma cicatrice obducto et asperitate frigoris neglecta, rhedam cursus publici veheret; nec quidpiam ei obfuit. Omnino per totum morbum tam faciei, quam virium flos integer erat. — Circiter duobus inde annis post iterum ab equo feriebatur ad

(1) Anfangsgründe der Chirurgie. Bd. II. §. 187.

(2) Lehrbuch der gerichtlichen Arzneikunde. II. §. 604.

eundem locum, quo membrana formata erat. Mox cicatrix vehementer inflammata in suppurationem transiit, sed, abscessu arte aperto, ne inde quidem quidquam detrimenti accepit.

Jam vero his enarratis, priusquam ad casum mihi obviam factum progrediar, de vulneribus cerebri in universum pauca disserere liceat. Etenim in cerebro corpora aliena et ossium fragmenta haerere possunt, nec non potest contusio et substantiae jactura accidere, atque una cum iis concussio et extravasatum occurrere. Unde non potest cerebri inflammatio non exoriri, in qua vel irritationis vel pressionis vel utriusque signa praevalent, atque in suppurationem vel gangraenam partis cerebri terminantur, nisi forte antea jam mors omnium malorum germen praesecuerit. — Vulnera puncta, scissa et sclopetaria ad cerebrum usque penetrantia pervarii sunt momenti. Inter quae ea, quae pungendo facta sunt, minus quidem periculosam sanguinis jacturam efficiunt, sed telum facile praefringitur atque haeret in cranio, vel simul ossis fragmenta ibi quasi inforantur. Atque si non extemplo mors acciderit, certe inflammatio et suppuratio subsecutura est. Nonnulli ita vulnerati per aliquot quidem dies servantur, tum vero collabuntur et mox intereunt; atque cranio aperto in substantia cerebri, quo telum invaserat, aliquantum puris invenies. Si telum, v. c. ensis acutus, in cranio haerens adhuc prehendi potest, id confestim forcipe caute extrahatur, ut conquassatio vitetur. Sin vero telum breve praefractum est, vel in cranio abditum latet, trepanum in usum vocandum. Aegrotos e vulneribus punctis, in profundum progressis, divina quadam ratione evasisse, plura exempla a Sennerto, Marchettisio et Boyero prodita nos edocuerunt. — Vulnera talia cerebello vel medullae oblongatae inflicta semper mortem afferre dicuntur, verumtamen quandoque non extemplo, sed tum demum, postquam pus jam formatum est. Quanto autem profundius cerebrum ictu laesum est, tanto celerius mors irruit, idque plerumque subito fieri solet; in ejus superficie, in lobulis anterioribus vulnera levissime ferri videntur; ea autem, quae a latere ingressa sunt, decessum e vita plurimum maturant. Atque etiamsi nullum corpus alienum in vulnere remanserit, simul atque inflammatio ad suppurationem evecta sit, modiolo tamen cranium forari semper

oportebit, ne angustior vulneris apertura defluxui puris sit impedimento. Quantum vero commodi ex hac operatione in tales casus redundet, inde latissime patet, quod cerebri vulnera scissa et sclopetaria multo minus discriminis habere quam puncta, nos experientia docti sumus. Etenim in illis sanguini et puri via aperta manet; immo, ubi capite dissecto profundum cerebrum caedendo ictum erat, sanitatem per bonam suppurationem recuperari viderunt. Praeter curam antiphlogisticam nihil tibi faciendum est, quam ut sanguinis et puris defluxum expedias.

Ex vulneribus ab ictu teli igniferi profectis magis dubia sunt, quae, salvo cerebro, cranium comminuunt, quam quae — dumne profundius id fiat — cerebrum permeant. Ejus enim modi vulnerum amplitudo vetat, ne extravasata et puris depositiones cerebro sint oneri, et glans plumbea perquam festinanter pervolans vix concussionem efficit. Si ossium particulae introrsum ictae in cerebri superficie huc illuc moventur, eae trepano adhibito egerendae sunt. Quodsi glandes in cerebro haerent, nonnunquam specillo provide indagandae et caute extrahendae sunt, ne altius descendant, neve cerebrum trahatur. Expedit quoque interdum, eas sibimet ipsis committere et, ut elabantur suppuratione accedente, situ capitis favere. Quandoque talia corpora aliena in capite jacentia nihil turbant; verum ex uno quolibet motu nocente aegrotus diem supremum nec opinato obit. — Glandes, quae haerent in cranio, vel vectis vel trepano ope emoliendae sunt. — Magna autem cerebri laesi frusta interdum sine ullo alicujus momenti damno pessum iverunt. Partes ejus gangraena correptae medicaminibus leniter adstringentibus, v. c. melle rosato curentur, earumque discessus naturae medicatrici permittatur. Si bona cerebri suppuratio accesserit, vulnus unguentis mitioribus simpliciter obligetur, et omni cura id provideatur necesse est, ut aëri sese immiscendi copia, quantum fieri possit, intercludatur. Abscessus, quos fieri videris, scalpello aperias; quando pus tenue et male olens sese praebuerit, cerebrum ad novam inflammationem ossium assulis excitari, suspicandum et de iis amovendis cogitandum est. Inflammatio semper hac ratione curetur, quam gradus postulet. Suppuratio si adest larga, adstringentia lenia applicentur; ceterum de effluxu puris expediendo diligentissime cogitetur.

Roborantia, Chinae usum et cibos nutrientes indicatos esse tibi persuadeas, ubi aegrotus inter suppurationem tabescere coeperit. Partes cerebri prolapsae, sanatione procedente, in cavitatem cranii sponte revertuntur.

Inter molestias, quae, vulnere jam sanato, vel phaenomenis primitus apparentibus depulsis, serius et secundarie supervenire solent, mentio fiat cephalalgiae fixae et gravissimae infra locum affectum, nec non Epilepsiae. Atque hebetudo memoriae, proclivitas ad vertiginem, dolores capitis contentionem animi sequentes, et quae sunt similia vim vitalem in cerebro labefactam indicantia, admodum frequenter, praecīpue apud homines aetate jam provectiores animadvertuntur, eaque per menses, atque adeo per annos perseverant. Saepissime vero illa, ubi concussio cerebri praegressa fuit, remanent atque, ut sensim sensimque evanescant, remediis leniter excitantibus, ut Arnica et Valeriana, confici potest. Bromfielde suasit, ut fonticulus ad processum mastoideum ponatur. Verum cephalalgia fixa et epilepsia pro signis, inflammationem sub cranio serpentem et processum organicum vitiosum prodentibus, sunt habendae. Nec nunquam his locis os, aeque ac dura mater et pericranium densatur; quo in casu cruciatim in partes molles, loco affecto superpositas, ad os usque incidas et suppurationem per aliquot menses alas. Quod si nihil praestitisset, chirurgi antiquiores os, ut exfoliaretur, scalpro radi voluerunt; verumtamen tum trepanatio praeferenda est. — Neque raro fit, ut in ejusmodi vulnerum decursu in hepate inflammatio et abscessus cooriantur. Quae mala aut per consensum nata sunt, aut — quod saepius acciderit — hepar ex eadem causa, quae capitis vulneri suberat, concussum est. Simul atque tensio in regione epigastrica, dolor obtusus vel pungens in regione hepatis, paralysis vel stupor in brachio et femore dextro, retentio bilis, icterus etc. apparuerint, attentio medici ad id organum convertatur, cujus cum affectione laesio capitis complicata valde anceps fit. Hirudines, pediluvia, sectio venae saphenae, medicamina resolventia et laxantia adhibeantur, donec complicatio haec molestissima plane sit sublata. —

His praemissis tandem ad alteram hujus opusculi partem aggrediar. Etiamsi quidem exemplis jam supra traditis luculentissime probatum sit, de sanatione vulnerum

cerebri haud desperandum esse: tamen a rei utilitate non abhorrere arbitror, ad multa illa unum ex mea experientia — quantulacunque est — depromtum addere, quippe quum sine dubio admodum mirum sit, quod vulnera capitis vel levissima saepenumero mortem afferant, e casibus autem, qui discriminis multo pleniores videantur, homines sani evaserint.

Fridericus Kurth, decem et septem annos natus, qui in pago Tegel prope Berolinum in mola equaria famulabatur, die VIII. m. Jan. MDCCCXLI, quum equum flagello stimularet, calcitratu ad frontem supra dextrum oculum statim prosternebatur. Qui ex propinquo advenerunt, ut, qua causa molae agitatio inhiberetur, inquirerent, equum insistentem et famulum mentis non compotem et sanguine madentem invenerunt. Medicus arcessitus, Exp. Reitzenstein, de statu rei, qui tunc deprehendebatur, haecce retulit.

Aegrotus inquiete jactabatur, manibus caput petebat et ex sopore aegre expergefactus ad ea, quae ex ipso quaerebantur, inepte et falso respondebat; mox ei iterum sopor superveniebat. Facies aegroti pallida, oculi sinistri vigor nullus, dexter oculus clausus erat. Respiratio profunda et stertens, pulsus plenus, mollis, aliquantum retardatus, intermittens; excretio alvi et urinae missio suppressae. Vulnus ipsum supra oculum dextrum inventum est, verumtamen trans mediam frontem etiam paullulum sinistrorsum vergens; integumenta externa ab osse frontis dirupta oculum dextrum obtexerunt. Os frontis latius, quam duos pollices, et si altitudinem spectaveris, unum pollicem in diametro diffractum erat, ita ut medicus duo ossis fragmenta, quae in vulnere exstabant, nullo negotio inde promeret. (Conferantur Fig. 5 a et b fragmentorum facies externae, Fig. 4 a et b eorundem superficies internae, Fig. 6 fragmentorum in unum compositorum facies internae.)

Tunicae cerebri ruptae erant et lobulus dexter cerebri anterior tantum processerat, quantum valet ambitus ovi anserini. Et ipsum cerebrum erat laesum, ita ut aliquantulum substantiae ejus jamjam periisset. Atque si, quod postea ex vulnere inter purgandum profluebat, illi jacturae addideris, plus, quam cochlear majus substantiae cerebralis, si summam spectas, perditum esse, persuasum habeas. Sanguis non ita large

profundebatur, ut sinum longitudinalem superiorem ruptum esse, credere liceret. — Postquam aegrotus apte collocatus est, vulneri, quam caute debebat, abluto et purgato epithemata frigida applicata sunt. Missis deinde sedecim unciis sanguinis, interne solutio natri sulphurici et diaeta antiphlogistica praescripta est. Duobus subsequentibus diebus pulsus mollis, modice plenus, intermittens et justo rarior reperiebatur; sopor permanebat, excretiones aegroto inscio emittebantur; nulla vel cibi vel potus appetentia. Quarto die suppuratio, quae parca jam die antecendente visa erat, satis larga aderat. Accedebant signa irritationis cerebri haecce: Aegroti inquietudo et jactatio, faciei rubor, pulsuum frequentia et tensio. Accuratius igitur vulnus iterum exploranti medico sub cute tres assulae osseae occurrunt, quarum acumina versus cerebrum tendunt. His remotis et vena denuo secta, cura et interna et externa eadem continuabatur. Die quinto et sexto aegrotus tranquillior erat, vulneris indoles bona, bona etiam suppuratio. Quum vero sanatio illo loco, quo aeger versabatur, et ob longius spatium usque ad domicilium medici interjectum, et ob aegroti curam haud sufficientem difficilior videretur, noster Fridericus Kurth septimo die, postquam vulnus acceptum est, Berolinum deportatus et in Clinicum chirurgicum, quod tunc jam florebat et adhuc floret sub auspiciis Ill. Dieffenbach, die XIV. m. Jan. receptus est. Ibique casu mihi prosperrimo cecidit, ut aegrotus mihi curandus mandaretur.

Is igitur ex sopore, quo afflictatus obviam mihi ferebatur, nisi vehementiore compellatione non expergiscebatur, et id quidem in brevissimum duntaxat tempus, quod sufficiebat ad inepte respondendum, sese satis bene habere: dein sine mora sopor subsequebatur. In lecto jactabatur, caput manibus petebat; facies praebebat pallorem, pulsus arteriarum erat plenus, mollis, redardatus eum in modum, ut in minuta horae pulsus essent sexaginta usque ad sexaginta quinque. Huc accedebat, quod post ternos pulsus intermissio observabatur. Vulnus ipsum adhuc idem erat, uti medicus statim arcessitus descripserat. Quoniam integumenta externa lateris dextri ossis frontis abrupta et per cerebrum, quod prociderat, depressa erant, oculus dexter minorem amplitudinem habebat quam sinister (Fig. 1).

Cum oculorum, tum vero etiam totius faciei adspectus gravioris aegritudinis imaginem reddidit. Ab ipso cerebro, per tunicas ruptas et os apertum protruso, vulneris margines velut a toro circumdati erant ita, ut ipsi ante oculos non obversarentur. Quantum vero substantiae cerebri effluxerit, e Fig. 2 cognoveris, quae prolapsum a latere visum offert. Ceterum in prolapsu ipso motus animadvertebantur, qui eundem, quem motus respiratorii, rhythmum sequebantur, nec non ibidem pulsus in arteriarum ramificationibus deprehendebantur. Suppuratio in vulnere satis larga esse pergebat. Quum vero sanguinis detractio jam praegressa satis esse videretur, aegroto victus ratio antiphlogistica imperata est, itemque medicamina refrigerantia alvumque cientia sunt porrecta. Vulnus linteo carpto sicco obtectum propter largam suppurationem saepius per diem linteum mutando curabatur. Prima dein septimana, per quam commoratus est in Clinico, praeterita, aegroti conditio universa multo melius sese habere coepit, ita ut tum cibum potumque, tum matulam sua sponte appeteret. Parum vero etiam hoc tempore valetudinem suam intelligebat, nam se bene habere, semper mihi interroganti responsum dabat.

Die duodecimo noster Kurth dolorem in regione hepatis, eumque pressione increscentem querebatur, et facili negotio hepar per integumenta abdominis manu percipi poterat. Accedebat respirationis oppressio et tussicula, qua lateris dextri dolorem pungentem adaugeri aegrotus conquerebatur. Sapor amarus, lingua flavido obducta, sitis aucta, pulsus duriusculus et contractus, nec non frequentior quam antea, namque ad octoginta evectus erat. Color faciei circum oculos et oris angulos, item tunicae scleroticae subflavus erat, urina crocea in superficie opalescens, alvi dejectiones liquidae et subvirides. Hepatitidis signa quum omnia in conspectum prodirent, regioni hepatis duodecim hirudines applicabantur, interne Calomelas adhibebatur. Sequebantur mox sedes sat largae et biliosae, atque diebus tribus post omnia hepatitidis symptomata evanuerant. Ex hoc ipso tempore sanatio nostri Kurth paullatim quidem, procedebat tamen. Obnebulatio capitis et stupor decedebant, evacuationes regulae obsequebantur; pulsus modice plenus, mollis evadebat, sed etiam nunc intermittens, pulsuum numerus erat 60—65 in minuta horae. Quum autem cerebri prolapsi volumen haud

decresceret, linteum carptum aceto saturnino imbutum et prolapsui impositum per fasciam obligabatur, quae eadem compressorii partes ageret. Ac ne minimum quidem incommodum ex hac pressione natum est. Simul ac vero ad linteum renovandum fascia est amota, cerebrum, quod in cranio per fasciam complanatum et retentum erat, iterum prolapsum et ad priorem amplitudinem elatum est. Verum ubi vulneris ambitus, granulatione a mollibus partibus profecta, sensim sensimque decrevit, tum, quominus ne remota quidem fascia cerebrum procideret, impeditum est.

Jam vero decem hebdomadibus, ex quo in Institutum aeger receptus erat, elapsis, totum vulnus cicatrice molli quidem, sed contra procidentiam satis valida, erat obductum. Neque vero substantiae osseae defectus restitutus erat, quo factum est, ut cerebri pulsatio per cicatricem et oculis et manibus perciperetur. Denique omnibus functionibus, tam organicis quam psychicis, ad normam revocatis die XIII. m. April. patiens noster, integerrima valetudine gaudens, e Clinico dimissus est. Attamen ei suasum est, ut propter membranae mollitiem integumento aereo cerebrum ab injuriarum impetu defenderet.

Ita vel vehementissima virium contentione ne minimum quidem se turbari profitetur. Quum nuperrime visendi causa, quod saepius repetit, ad me veniret, paralysin faciei musculorum circa os lateris sinistri, quae per aliquod tempus remanserat (Cf. Fig. 3), prorsus decessisse animadverti. Atque nisi cicatricem supra oculum dextrum, nullam deformitatem in facie deprehenderis.

VITA.

Arminius Heidfeld, Mariaeinsulanus, natus d. XXIX. m. Aug. a. MDCCCXIV patre Augusto, matre Charlotta e gente Neumann, quos parentes carissimos invidis fatis mihi ereptos lugeo, evangelicae confessioni addictus sum. Primis litterarum elementis imbutus per decem annos gymnasia haec frequentavi: Mariaeinsulanum, Postampiense, Regiomontanum et Brunisbergense. In hoc, quod directore Gerlach adhuc floret, testimonio maturitatis instructus, a. MDCCCXXXV Berolinum me contuli, utriusque juris studio me dedicaturus, ibique ab t. t. rectore magnifico Ill. Busch academicorum civium numero adscriptus, atque apud ordinis gratiosi juridici t. t. decanum maxime spectabilem nomen professus sum.

Per primum annum has frequentavi lectiones: logicen et metaphysicen apud Ill. ab Henning, institutiones et historiam juris apud Ill. de Savigny, easdem apud Beat. Gans, et alias.

Tum juris studio cum arte medica commutato, a. MDCCCXXXVI apud gratiosi ordinis medicorum t. t. decanum maxime spectabilem Ill. Mueller nomen professus sum. Atque hae sunt, quas per alterum annum Berolini frequentavi scholas:

Anatomia generalis et sensuum, physiologia et anatomia comparata apud Ill. Mueller; chemia experimentalis apud Ill. Mitscherlich; botanice apud Ill. Kunth; historia naturalis medica apud Cel. Burmeister.

Berolino relicto, a. MDCCCXXXVII civibus universitatis litterariae Albertinae adscriptus a prorectore magnifico Ill. Klose, decano maxime spectabili Ill. Burdach sen. nomen dedi, ibique per annum docentes audivi:

Ill. Meyer de botanice; Ill. Dulk de chemia experimentali, pharmacia, phytochemia et zoochemia; Ill. Sachs de pathologia generali et speciali, de therapia speciali. In arte fascias rite applicandi Cel. Burow et in cadaveribus dissecandis Cel. Burdach jun. duces mihi fuerunt et moderatores.

Anno elapso almam universitatem Halensem adii, ubi in civium numerum receptus a prorectore magnifico Ill. Laspeyres, apud decanum maxime spectabilem Ill. Krukenberg nomen professus sum. Per annum me docuerunt:

Ill. Kaemtz physicen; Ill. Krukenberg pathologiam et therapiam tum generalem, tum specialem; Ill. Blasius chirurgiam. Praeterea Ill. Krukenberg et Ill. Blasius duces mihi fuerunt in scholis clinicis.

Deinde a. MDCCCXXXIX Berolinum redii, ibique inter cives academicos receptus a rectore magnifico Ill. Twesten et apud decanum maxime spectabilem Ill. Hecker nomen professus, per duos annos scholis clinicis medicis Beat. Osann, Ill. Schoenlein; chirurgicis Beat. Rust, Beat. de Graefe, Ill. Dieffenbach interfui. Praeterea ad operationes Ill. Schlemm, ad operationes ophthalmiatricas Exp. Angelstein, ad artem obstetriciam Ill. Kluge me instituerunt.

Quibus omnibus viris maxime de me meritis gratias, quas possum maximas, ago.

Jam tentaminibus, tam philosophico quam medico, et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, fore spero, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Medicus rationalis nec ulli operationis methodo, nec ulli remedio principatum largiri debet.
2. Praematurum partum artificialem instituere medico licet.
3. Trepanatio recentibus tantum cranii laesionibus indicatur.
4. Rheumatismi et arthritidis fines semper et accurate statui nequeunt.
5. Iridectomia ceteris coremorphoseos methodis longe praestat.